

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Nummotheca Principum Austriae**

ex gazis Aulæ Caesareæ potissimum instructa, & aliunde aucta, quæ a prima ætate, qua in Austria cusa fuit moneta Sub Babenbergicæ Stirpis Marchionibus, Ad Usque Habsburgicæ Gentis Principes, Lineæ Hispano-Austriacæ, Huiusque Masculum Ultimum Carolum II. Regem Hispan.

Complectitur tabulas aeri incisas LI

**Herrgott, Marquart**

**Friburgi Brisgoviae, 1752**

[Text]

[urn:nbn:de:bsz:31-241470](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-241470)



Tab. XIV. Laudatus MELLENIUS illum in ordine uncialium primo loco ponit: sed recte monet, cum nequaquam ad monetam usua-lem, verum ad augustiora illa numismata, quæ Galli *Medailles*, nostri *Schaupfenninge* appel-lant, referendum esse. Quod ipsum quoque animadvertit Cl. KOEHLERUS (a).

Alium ego huius nummi ty-  
pum reperi in gazis Aulae Im-  
perialis, cuius ectypon hic sub-  
iungo. *M. S. B. ar. deaur.*  
*pond. 1. unc.*

XLV.

Idem utriusque partis typus;  
at perigraphe nonnihil variat,  
† DD. ( *Divi* ) FRIDERICVS.  
III. PAT.ER ET. MAXIMILIANVS.  
FIL. IUS ROM. ANORUM IMPP. & in  
aversa: ILLUSTRISSIME DOMVS.  
AVSTRIACAE. INSIGNIA.

Hunc ipsum nummum Cl.  
b KOEHLERUS (b) describens pro  
fœtu Judæi Pragensis, de quo  
nos hic supra ad nummos num.  
XIII. & XIV. recensitos, & in  
FRIDERICO num. II. pag. 3.  
egimus, declarat: quod reipsa  
ita esse, ipsa eius inspectio &  
litterarum ductus ævo illi mi-  
nime convenientes, ostendunt.  
Perigraphe in nonnullis a priori  
differt, uti typum cum typo  
contendenti patebit: figuræ ta-  
men, ac totius nummi œcono-  
mia cum præcedenti ita corre-  
spondent, ut hunc ex illo a  
dicto falsario exsculptum fuisse,  
verisimile sit. *M. Imp. ar.*  
*pond. dimid. unc. drach. 1.*

(a) M. B. L. P. II. Præfat. §. xxxii.

XLVI.

IMP.erator CAES. ar FRIDERI-  
CVS. IIII AVG. uſtus. adiiciuntur  
figlæ artificis: AN: AB mihi in-  
cognitæ. Protome FRIDERICI  
in toga pellicea replicata, capite  
caliptra, pariter pellicea, oper-  
to, & dextrorsum converso.

IMP.erator CAES. ar MAXIMIL-  
IANUS AVG. uſtus, repetuntur ex-  
dem artificis figlæ.

Numisma hoc ovatæ figuræ  
ab elegantia sua commendatur.  
Eius aversam partem tantummo-  
do HERÆUS in tabulas suas re-  
tulit: sed integrum, & ex utra-  
que parte signatum, in gazis  
Aulae Vindobonensis vidimus,  
& exempla eiusdem bina in  
musæo nostro adservamus, al-  
terum ex ære deauratum, ex  
plumbo alterum. Illud vero  
nummis restitutis adscribo; non  
modo, quod FRIDERICUS Cæ-  
sar e vivis iam exceſſerat, quan-  
do MAXIMILIANUS se Cæsarem  
& Augustum scripsit; sed etiam  
quod in epigraphe primæ partis  
legitur FRIDERICUS IIII. cum  
is, ut supra iam docuimus: *Ter-  
tius* hoc nomine, non *Quartus*  
audiri voluerit: cumque typus  
æra Christi sit destitutus, illum cæ-  
teris restitutis ordine postponi-  
mus. *M. Imp. a. M. S. B. ar. deaur.*  
*et in duobus laminis ex plumbo.*

MAXIMILIANI NUMMI  
UNCIALES, REGII,  
ET  
IMPERATORII.

Octo diversæ formæ num-  
mos unciales, ad MAXIMILIA-  
NUM pertinentes, superesse Cl.  
KOEHL-

(b) P. I. pag. 91. n. v.

MAXI-  
MILIA-  
NUS I.

Tab. XV.



MAXI-  
MILIA-  
NUS I.  
a

KOEHLERUS docet, qui & eorum numerum init (a). Totidem a nobis, quamvis nummum illum restitutum, quem is octavo loco describit, in Partem II. huius Nummothecæ reicere visum fit, collectos hic videas, si iis, qui sex numero hic ordine sequentur, binos illos, quos eodem unciali pondere num. XXIII. & XXXII. inter Historicos retulimus, adicias: sed quorum nonnulli ab iis, quos Laudatus Vir, rei nummariae consultissimus recenset, tam quoad figuras, quam etiam, & præcipue quoad inscriptiones nonnihil abeunt, uti ex utrorum accurata collatione liquebit. Plerosque eorum Cl. MELLENIUS in sua sylloge uncialibus adscripsit, cui tamen quoad tres posteriores haud suffragatur laudatus KOEHLERUS (b). Ambobus viris doctissimis satisfactum iri putavimus, si eiusmodi nummis nomen *uncialium* iam inditum, intactum relinquere; illos tamen a moneta usuali distinctos, honoratiori nobiliorique loco reponeremus, quod & facimus.

## XLVII.

MAXIMILIANVS ROMA. NORUM  
REX. SEMPER. AVGVSTVS 1495.  
Imago Cæsaris ad medium corporis, cataphracta munita, dextra gladium districtum, sin. globum Imperii tenentis, capite coronato & ad lævam converso.

In averfa, quæ inscriptione caret, aquila simplex sistitur,

(a) M. B. L. P. II. §. XXXIII.

(b) Ibidem P. II. §. XXXV. in fine.

duas parmulas combinatas in pectore gestans, *Austria* & *Tyrolis* insignibus conspicuas: in margine viginti scuta in orbem disposita, quorum hæc sunt nomina: *Habsburg*, *Veldkirch*, *Kyburg*, *Nellenburg*, *Hohenberg*, *Burgovia*, *Limburgi*, *Styria*, *Carniola*, *Burgundia*, *Hungaria*, *Brabantia*, *Carinthia*, *Austria Superioris*, *Flandria*, *Hollandia*, *Alsatia*, *Vinidorum Marchia*, *Portus Naonis*, *Pherreti*.

Hoc quidem anno 1495. MAXIMILIANO, ut novo Imperatori, sacramentum iam fuit præstitum, & prima Wormatiæ ab ipso celebrata sunt comitia, in quibus subsidia pecuniaria tum in Turcas, tum in Gallos Cæsar impetravit. Unde titulum potius *Imperatoris*, quam *Regis Romanorum* in nummo quæri oportere videtur. Verum, ut iam monuimus (c), & Cl. a MELLENIUS (d) recte observat: MAXIMILIANUM Imperatorio titulo ante annum 1508. plerumque abstinuisse, idque pro usu illorum temporum, quo Imperatores antequam Romæ essent coronati, *Romanorum* duntaxat *Reges*, non *Imperatores* salutabantur. MEL. *Syll. num. unc. p. 191.* & LILIENTHAL. *p. 2.*

## XLVIII.

MAXIMILIANVS. DEI. GRATIA. ROMANORUM REX. SEMPER. AVGVSTVS. Imago Cæsaris ut num. precedenti: at dextra sceptrum in humerum reclinatum

(c) supra ad num. XVIII. pag. 27.

(d) Sylloge num. unc. p. 12.



Tab. XV. tum tenet, fin. ensem bellatorem inversum capulo tenusprehendit.

In altera nummi facie scutum Regis Romanorum coronatum & torque Ordinis aurei velleris cinctum, nec non quatuor aliis parmulis stipatum, puta Regni *Hungaria*, Archiducatus *Austria*, Ducatus *Burgundia*, & Comitatus *Habsburgici*, quas inter aliquot igniaria eiusdem Ordinis adposita sunt. Additur perigraphæ non nihil obscura hunc in modum: XP.

AC. A. REG. R. HER. Q. ARCHID. AV. PLVRI. EVROP. PVI. PN. POTETI. Cl. MELLENIVS (a), postquam plures coniecturas ad enodandas hasce siglas attulisset, suam denique exponit sententiam, ac perigraphen partis averfæ, ubi maxime circa siglas XP. difficultas obversatur, cum adverfa coniungens, sic legit: MAXIMILIANVS. DEI. GRA. *tia* ROMANOR. *um* REX. *semper* AVGVST. *us* CHR. *i-* *stianissimus*. AC. A. *liorum* REG. *norum* R. *ex* HER. *es* Q. *ue* ARCHID. *ux* AV. *striae* PLVRI. *umque* EVROP. *e* *provinciarum* prin. *ceps* POTENTI. *ssimus*. Non improbamus hanc Cl. viri interpretationem; quin ad maiorem eius illustrationem addimus, quod *Henricus* BEBELIVS MAXIMILIANUM viventem in oratione quadam de laudibus eiusdem habitata (b) *Christianissimum* appellitet, ac insuper Imperatores Romano-Germanicos eiusmodi titulo iure honorandos esse

TOM. II. P. I.

- (a) Numm. uncial. pag. 13. seq.  
 (b) Apud SCHARDIVM Script. rer. germ. Tom. I. pag. 221.  
 (c) Apud eundem. pag. 242. & LAM-

(c) singulari dissertatione Apologetica demonstrat. Verum cum de nullo Imperatorum inferioris ævi, adeoque nec de ipso MAXIMILIANO dici possit, quod hunc titulum, quem sibi Reges Gallia vindicant, adhibuerit; in hac præterea MELLENII hypothese reliqua inscriptionis verba non optime cohæreant: prædictæ, de quibus quæritur, siglæ aliam quoque interpretationem haud difficulter admittunt.

Hanc subministrat Rescriptum de Societate S. GEORGII (d) ubi MAXIMILIANUS se ipsum aliquoties *supremum Christianitatis caput* nominat, quod, si quid iudico, idem est, ac *Christianitatis Rex*, ut in nummo vocatur; itaque *Christianitatis*, non *Christianissimus* legendum videtur. Sed quid sibi vult, quod sequitur: *ac aliorum regnorum Rex heresque?* num verba hæc *Christianitati* ita opponuntur, ut ea regna intelligenda veniant, quæ a Christiana religione aliena sunt? Certe id ipsum est, quod Cl. auctor obiicit, quodque ipsum ad suam sententiam amplectendam induxisse videtur; *nam velim*, inquit, *scire, quibus regnis imperaverit MAXIMILIANUS, quæ alia a Christianis regnis fuerint* (e). Cui obiectioni responderi potest, per formulam illam: *ac aliorum regnorum Rex* ad Monarchiam Romanam, seu Imperium Romanorum, cuius summa penes

F

MAXI-

- BECIVM Bibl. Cæs. pag. 338.  
 (d) DATT. *Rer. Germ.* pag. 214.  
 (e) Loco cit.

MAXI-  
MILIA-  
NUS I.  
C

d

e



MAXI-  
MILIA-  
NUS I.

MAXIMILIANUM erat, respici. Hac enim dignitate auctus, Dominus universi orbis audiebat, atque adeo non solum *Christianitatis* sed etiam *aliorum regnorum Rex* iure vocabatur. Restrictius autem, atque præcipue Imperium Orientale, tum temporis a Turcis occupatum, spectasse videtur; quod non solum antiquo Romani Imperii iure, sed & affinitatis titulo repetere poterat. Quæ singula ad num. LI. ubi de formula: *Dominus OCCIDENTIS ORIENTISQUE*, in nummo expressa, agendum erit, enucleatius exponemus. *M. Imp. ar. pond. i. unc. T. H. MELL. p. II.*

## XLIX.

† MAXIMILIANVS. DEI. GRA. *tia* ROMANOR. *um* REX. SEMPER. AVGVSTVS. Imago Cæsaris ut num. præcedenti: at dextrorsum respicit, sceptrumque non in humeros reclinatum gerit, sed nonnihil protendit.

Perigraphe in antica parte abrupta, in hac ita continuatur: XPIA i. e. *Christianitatis* Z (cæterorumque) REGNOR. *um* REX HERES. QZ. (que) ARCHIDVX. AVSTRIE. PLVRIMAR. *um* QZ. (que) EVROP. & PROVINCIA. *um* PRINCEPS. DVX. ET. D9. (*Dominus*). Scutum est coronatum & torque aurei velleris cinctum, nec non quatuor parmulis, videlicet *Hungaria*, *Austria*, *Burgundia*, & *Habsburgi*, quas inter aliquot igniaria illius Ordinis apparent.

Prope coronam addita æra Christi 1.5.0.5. Quid de hac

(a) Conf. num. IV. pag. 18.

perigraphe titulisque sentien- Tab. XV.  
dum, supra exposuimus. Animadvertendum tamen, siglas illas: AC. A. hic omiffas esse; apparet tamen nota quædam litteræ Z. non absimilis, quamvis inferior transversa linea, forte errore sculptoris, absit, quæ, uti ex aliis nummis (a) a  
discimus, *cæterorum* reddi potest, adeoque perigraphe eiusdem est cum antecedente sententia.

Typum istius nummi in tabulas suas quoque retulit Cl. HERÆUS; sed excusor licentiam sibi sumpsit, ut in multis aliis, ita & hic, extra marginem, seu nummi orbem, addendi plures circulos, qui nummum maiorem elegantioreque redderent, ac revera est.

LUCKIUS pariter huius nummi exemplum in medium adduxit: verum pars eius adversa vitio scalptoris inversa est, præbetque Cæsaris effigiem sinistrorsum aspicientis, adeoque dextra sceptrum, sin. gladium tenentis. Ipse vero Cl. auctor (b) nummum hunc *triumphalem* nominat, eumque anno demum 1512. cusum fuisse scribit, post Gallos ex Italia pullos, & restitutum SFORTIÆ Mediolanum. Verum æra Christi in nummi umbone eminentior est, quam quæ pro libitu immutari possit.

Quod superest, hic ipse nummus communiter uncialium ordini adscribitur: at vero ad numismata illa augustiora, seu mne-  
monica pertinere, non solum ex pondere, quod duas uncias, ut  
infe

(b) pag. 24.



Tab. xv. inferius notabitur, excedit, recte arguitur; sed etiam ex eiusdem fabrica, quæ eius elegantia ac eminentia est, ut multos eius ætatis nummos mnemonicos non modo adæquet, sed etiam superet: unciales vero, tam quoad elegantiam, quam typi prominentiam longo post se relinquat intervallo; quod infallibile, præsertim hoc ultimum, nummi mnemonici signum est. *M. Imp. ar. pond. unc. 2. semis & drach. 2. M. S. B. pond. 1. & dimid. unc. 1. drach.*

L.

MAXIMILIANVS. ROMANOR. IMPERATOR. SEMP. ER AVGVSTVS. Icon Cæsaris ut num. XLVIII.

PLVRIVMQ. UE EVROPE. PROVINCIARVM. REX. ET. PRINCEPS. POTENTISSIMVS. Scutum coronatum Romani Imperii, impressa aquila bicipiti, cui addita quatuor parmulae, uti in præcedente unciali, interspersis quoque Ordinis aurei velleris aliquot ignariis.

- a Ex titulo Imperatoris, qui in hoc nummo legitur, Clar. MELLENIUS (a) arguit: illum non ante annum 1508. cufum fuisse; propterea, quod MAXIMILIANUS eo primum anno publica præconis voce *Romanorum Imperator* Tridenti sit renuntiatus. Idem sensisse videtur Cl. KOEHLERUS (b): recte quidem, sed non indubitate; nam uti iam supra observavimus (c), MAXIMILIANVS eundem titulum iam ante di-
- b
- c

(a) Syllog. num. p. 18.  
(b) M. B. L. P. II. Præfat. §. xxxv.

ctum annum, quamvis non adeo frequenter, cum in nummis, tum in aliis instrumentis publicis usurpavit; hinc est, quod nos ætatem huius nummi, nota temporis destituti, in medio relinquamus.

Cæterum an idem & sequentes duo inter mnemonicos potius, quam unciales, vulgo *Thaleros* referendi sint? quod MELLENIUS fecit, merito dubitatur; cum, ut Cl. KOEHLERUS (d) monet: in nullo ex veteribus libris monetalibus reperiantur; ac præterea nummus, mox describendus, etiam in auro, uti statim dicemus, excusus sit. Interim haud negamus, non nullos pro mnemonics cufos, postea usuales factos, & ad commercium translatos fuisse. *T. H. MEL. p. 18.*

LI.

Protome Imperatoris in toga replicata cum patagio ex pelli- bus murinis Ponticis, & torque aurei velleris, capillis ad collum usque defluentibus, & æqualiter accisis, capite pileo tecto & dextrorsum converso. Extat in nostro museo aliud exemplum, ubi imago Cæsaris sinistrorsum collocata est, sed nummus fusus est, non cufus. Additur in ambitu perigraphæ: *MAXIMILIANUS ROMANORUM IMPERATOR ARCHIDVX AVSTRIÆ ET DOMINUS TERRARUM OCCIDENTIS ORIENTISQUE*, quam pars postica sic prosequitur:

PLVRIVMQ. UE EVROPE. PROVINCIARVM REX. ET. PRINCEPS

(c) Supra ad num. xviii. Tab. XI. p. 27.  
(d) Id. loc. cit.

MAXIMILIANUS I.

d



MAXI-  
MILIA-  
NUS I.

CEPS (pro *Princeps*) POT. *entif-  
simus* 1518.

Decem parmulae scutariae, totidem insignibus notatae: earum maior in apice coronam & aquilam bicipitem *Romani Imperii* exhibet, impressa pectori parmula bipartita: hinc fasciam Austriacam, illinc baltheos Burgundicos referente, reliquae minores sequuntur hoc ordine: scutum *Austriae & Carinthiae*, ambo pileis Archiducum tecta, *Styriae, Habsburgi, Alsatie, Carniola, Principatus trans Anasum*, in imo clypeus medius pileo Ducali opertus, *Burgundiae*, & a sinistris, ultimo loco Aquila *Tyrolensis*.

Cl. a MELLENI, qui hunc nummum primus edidit, perigraphen eius sic interpretatur: quod per *terras Occidentis* Belgium, Burgundia, & caeterae provinciae, iure hereditatis ad Domum Austriacam attinentes: per *terras Orientis* vero Hungariae regnum, anno 1490. ex parte adquisitum, & quae eo pertinent, intelligi debeant; cum constet, harum regionum alias ad *ortum*, alias ad *occasum* spectare. Quae quidem interpretatio, etsi multam veri speciem praeferat, nonnulla tamen obsunt, quo minus acceptari possit. Enimvero si per *Dominatum Occidentis & Orientis* nihil aliud, quam dictae provinciae intelligendae veniunt, superfluum sane est, quod in contextu perigraphes sequitur: *PLURIMUMQUE EUROPAE PROVINCIARUM REX. ET PRINCEPS POT. entissimus*; cum quod in priori-

(a) In Theatro pratensionum c. 23. p. 190.

bus verbis: *DO. OCCI. ORI.* Tab. XV. contentum iam fuerat, tantum non iisdem generalibus verbis repeteretur in sequentibus; quod sane inscriptionum naturae & concinnitati repugnat.

Itaque per titulum *Dominus Occidentis Orientisque* rectius ius illud intelligi posse videtur, quod MAXIMILIANUS in utrumque Imperium non solum *Occidentale*, sed etiam *Orientale* sibi spondebat. In hoc enim Imperium Augustae Austriacae Domui ius competere, non nulli docent apud SCHWEDERUM (a), ubi praeter testamentum, quo ultimus Orientis Imperator CONSTANTINUS XV. & eius frater ANDREAS anno 1502. FERDINANDUM Hispaniae Regem cum coniuge sua ISABELLA, regni sui heredes instituisse fertur: etiam sanguinis coniunctio, quae Austriacis cum iisdem Imperatoribus intercessisse dicitur, allegatur. Qua de re, quid quid sit, de eiusmodi certe cognatione persuasus erat MAXIMILIANUS; is enim in oratione apud GOLDASTUM anno 1518. quo praesens nummus cusus est, ad Proceres Imperii, de bello Turcis inferendo, habita, CONSTANTINUM *Palaeologum* COGNATUM suum conceptis verbis nominat: *tandem anno, antequam natus sum, sexto, inquit, vi captam* (Constantinopolim Mahumetes II.) *diripuit, crudelissime interfecto Imperatore* CONSTANTINO, COGNATO NOSTRO.

Praeter hunc propinquitatis titulum alius quoque ex Imperato-

rato-



Tab. XV. ratoria dignitate proveniens ob-  
tendi poterat: vi cuius MAXI-  
MILIANUS aliorum Imperatorum  
ac præcipue patris sui FRIDERI-  
CI exemplo, totius orbis Im-  
perium sibi postulabat. Quo-  
circa legi meretur, quod Cl.  
LAMBECIUS in symbolum dicti  
FRIDERICI Imperatoris: *Austria*  
*est imperare orbi universo*, com-  
mentatus est (a).

a Extat quoque ÆNEÆ SYL-  
VII liber singularis de ortu &  
auctoritate Imperii Romani ad  
eundem FRIDERICUM *Placidum*,

b ubi (b) inter Romanum Pon-  
tificem & Imperatorem, compa-  
rationem instituens, huic omnes  
populos, omnesque nationes,  
Reges, & Principes in tempo-  
ralibus subiectos esse contendit,  
sicut Romano Pontifici singuli  
Patriarchæ, Primates, cæteri-  
que Pontifices & Prælati in spi-  
ritualibus. Quod vero ÆNEAS,  
prius docuit, postea Summus  
Pontifex factus non retractavit;  
c quin Bullæ (c), ad eundem  
FRIDERICUM *Placidum* datæ,

hæc verba inseruit: *non solum*  
*cui tantum munus* (Capitanei  
Generalis exercitus contra Tur-  
cas) *Imperiali officio debitum*  
*conferatur, sed cui omnes gentes*  
*parere & subesse non dedignentur*.  
Quod igitur ius in reliqua orbis  
regna, ac præsertim in ea, quæ  
ab Imperio tum avulsa erant,  
& adhuc sunt, habere visus est  
pater, illud quoque & filium  
postulasse credendum est. Quid?  
quod GLAREANUS in Panegy-  
rico, quem in honorem MA-

XIMILIANI Colonia Agrippinæ MAXI-  
recitabat, eundem ita alloqui- MILIA-  
tur: NUS I.

*Eia age Pañoniæ celeberrima*  
*gloria gentis*  
*Rex Romane fave, cui longo*  
*serviet ævo*

SOL ORIENS SOLQUE OCCIDENS  
*polus Auster & Arctos.*  
Adde, si placet, *Pandulphi*  
COLLENUTII Panegyricum, MA-  
XIMILIANO dictum, ubi Impe-  
ratori *Orbis Imperium* traditum  
esse asserit, eundemque *mundi*  
*Dominum* appellat (d).

d Verum restrictius hic *Domi-*  
*natus Orientis* de regno Turcico,  
olim *Orientali Imperio*, accipien-  
dum videtur; cum enim illud  
Imperium, uti post RADULPHUM  
de *Columna*, MARSILIUM *Me-*  
*nandrinum*, JORDANUM *Argen-*  
*tinensem* (e) aliosque, BELLAR-  
MINUS, quanquam plerisque  
c hodie aliter sentientibus, con-  
tendit, Imperium Orientale sub  
LEONE III. Summo Pontifice  
a Græcis in CAROLUM *Magnum*  
translatum fuerit: Imperatores  
Occidentis ius sibi illud vindi-  
candi esse censebant, postquam  
in manus infidelium Turcarum  
pervenit, qui eiusdem regni  
usurpatores, non iusti possesso-  
res agnoscendi sint.

Favet huic nostro systemati  
plurimum nummi atas. Age-  
batur enim anno 1518. quo  
is signatus est, in comitiis Au-  
gustanis, ubi Principes Electo-  
res, aliique nobiles, nec non  
Regum exterorum legati ingenti

F 3 nume-

(a) Diar. Sac. it. Cellenf. p. 9. editionis  
iam laudatæ.

(b) Conf. Cap. IX. & X. apud GOL-  
DASTUM MON. S. R. Imp. Tom. II. p. 1552.

(c) Apud LEIBNITIVM in Cod. Jur. p. 421.

(d) Apud FREHER. Tom. II. pag. 477.  
& 480.

(e) Apud GOLDASTUM loc. cit.



MAXI-  
MILIA-  
NUS I.

numero convenerant, inter cætera de bello Turcis inferendo.

Aderant quoque Legati Summi Pontificis, Imperatorem ac Principes ad illud bellum stimulatori, qui inter cæteras rationes, quibus illud suaderi posse existimabant, primo loco hanc afferunt: quod regnum Turcicum ad Imperium Romanum iure ac merito pertineat, quando orationem coram Imperatore & Principibus in eodem conventu habitam (a) hunc in modum ordiuntur: *Boni adsumus nuntii, Illustrissimi Principes. LEO Pontifex Maximus post Apostolicam benedictionem, Romanum Christianum, idemque VESTRUM IMPERIUM, OCCUPATUM A TURCIS restitutum vobis in vestra ac Christiane reipublica virtute & opera cupit.*

Eodem anno gladium & pileum, a Summo Pontifice consecratos, THOMAS CAIETANUS Imperatori obtulit, atque orationem, eadem occasione recitatam, hoc voto concludit: *Felicissimo igitur hodierno hoc ense post Constantinopolim Hierosolimamque partem Ro. Imperium Apostolicamque ecclesiam ad fines usque orbis terrarum propagare Maiestati tue, semper Auguste, largiatur JESUS CHRISTUS DOMINUS NOSTER (b). M. S. B. aur. pond. 9. ducat. 31. gran. T. H. MELL. p. 26.*

## LII.

MAXIMILIANVS. ROM. ANORUM IMPERATOR SEMPER. AVGVSTVS. ARCHID. VX AVSTRIE. Effigies

(a) Apud FREHER. loc. cit. pag. 689.

Cæsaris coronati & armati, Tab. XV. vultu dextrorsum verso.

† PLVRIVMQZ. EVROPE. PROVINCIARVM. REX. ET. PRINCEPS. POTENTISSIMVS. Quinque scuta, insignibus exarata, quæ supra iam descripsimus, addita æra Christi 1519.

Anni huius 1519. numerus singillatim in nummo notandus; utpote qui MAXIMILIANO Imp. optimo, ac Principi omnibus pacis bellique artibus clarissimo, fatalis fuit, vitæque ipsius ultimus.

Subiungimus hisce nummis uncialibus florenum, seu nummum dimidiæ uncie, quem in supplem. Tab. XLIX. num. XLIV. delineari curabimus. In eius adversa parte protome MAXIMILIANI, ut num. LI. exhibetur: nisi quod hic caput sinistrorsum respiciat, in ambitu autem perigraphæ legitur: *MAXIMILIANVS ROM. ANORUM IMPERATOR AVGVSTVS ARCHIDVX. CARINTHIE*, quam nummi pars adversa sic prosequitur:

PLVRI VM. EVROPE. PROVINCIARUM REX. ET. PINCEP. (pro princeps) POTENTISSIMVS. Scutum bipartitum, ac pileo Archiducali tectum, in cuius priori area tessera Carinthie, in posteriori Austria exaratur. Ad eius latus dextrum parmula Austria, ad sinistrum Burgundie sistitur, quarum utraque simili pileo tecta est. Inferius a dextris scutum Styrie, a sinistris Aquila Tyrolis comparet: additur præter ignitabula & flammæ Ordinis aurei velleris, spar-

(b) Ibid. pag. 715.



Tab. XV. sparsim adiectas, nota temporis 1518.

- a Quod in hoc floreno precipue attendi meretur, titulus est: *Archidux Carinthia*, qui in nummis Austriacis rarius occurrit. Cl. KOEHLERUS (a) nummum FERDINANDI I. Romanorum & Bohemiarum Regis vulgavit, in quo idem legitur. Eius proinde originem fusc iuxta ac erudite indagans, adversus *Hieronymum* MEGISERUM, celebrem Annalium Carinthiae parentem, Archiducalem titulum huic provinciae ab anno primum 1453. ex FRIDERICI *Placidi* concessione deberi, recte (b) docet: operam tamen
- b lusit, cum ibidem (c) MAXIMILIANUM, postquam adquisitis, coniugii iure, pluribus provinciis, titulos suos mutavit, ampliavitque, *Archiducis Carinthia* axiomate deinceps nuspian usum fuisse, statuit; cum contrarium non solum ex praesenti, sed etiam ex aliis nummis inferius adducendis (d) plane evincatur. MELL. p. 29. M. S. B.

MONETÆ.

In libro monetali, quem *Adamus* BERG 1579. Monachii in fol. edidit, quique anno 1604. denuo prodiit, nummi aliquot MAXIMILIANI ad monetam referuntur, quorum eotypa iam supra dedimus, nec vacat illa huc denuo referre.

Ad classẽ uncialium posuit nummum, quem nos su-

pra num. XI. exhibuimus, cum Maxera Christi 1479. uti ibidem MILIANUS I. iam notavimus. Regales etiam, ut vocant, supra num. XV. & XVI. Nos vero monetam MAXIMILIANI I. a sequenti Regali ordimur.

LIII.

Icon MAXIMILIANI Regis Romanorum armata, ad dimidium corpus, dex. gladium tenentis, sin. globum Imperii: capite corona clausa ornato, & nonnihil ad lævam respiciente. Pectori eius aquila Imperii impressa est. Additur perigraphæ in hanc sententiam:

† CVSTODIAT. CATOR. (creator) OIM. (omnium) HVILE. (humilem) SW. (seruum) SVV. (suum) 1487.

Perigraphæ partis aversæ simili pia sententia, seu voto absoluitur: DET. TIBI. IN TERRIS. VIRTVT.EM Z. (et) IN CEL. IN GLORIA.M.

Monogramma MAXIMILIANI Regis Romanorum, additis supra & infra ignariis & flammis ex torque aurei velleris.

De nummo hoc, & singulari eiusdem typo, nec non de usu monogrammati fusc & pro more suo erudite agit Cl. KOEHLERUS (e). Sed in descriptione anticæ partis observo errorem typographicum, cum loco *viilem* scribendum fuisset: *humilem*. Dubito porro an avis in pectore Regis, pro aquila bicipiti habenda sit. In cæteris enim MAXIMILIANI nummis & monu-

(a) M.B.L. P. III. pag. 289.

(b) Vid. quæ supra ad nummum V. FRIDERICI *Placidi* pag. 5. notamus.

(c) pag. 259.

(d) Num. LVII - LIX. LXII.

(e) M.B.L. P. XII. p. 177.



MAXI-  
MILIA-  
NUS I.  
Tab. XV.

monumentis aquilæ bicipitis  
usus non comparet, donec de-  
functo patre Cæsar est salu-  
tatus.

Huius quoque nummi ty-  
pum habes apud *Adamum BERG*  
a (a) cumque in numero *Rega-  
lium aureorum* repositum. *M.  
Imp. pond. dimid. Regalis. Fland.  
K. loc. cit.*

## LIV.

IMP.erator CAES. ar MAXIMI-  
LIANVS. AVGVSTVS. Effigies  
Imperatoris coronati, & arma-  
ti, ac torque aurei velleris or-  
nati.

ARCHIDVX. AVSTRIE STI-  
RIE. M. D. X. I. in immo littera  
B. Aquila Imperii biceps co-  
ronata, cum parmula, pectori  
impressa, *Austria, Burgundia-  
que* insignia referente. B. littera  
officinam forte monetariam, ubi  
nummus percussus fuit, deno-  
tat. Verum alium eiusdem  
nummi typum in Tab. Clar.  
HERÆI habemus, in quo infer-  
ne in postica parte, loco litte-  
ræ B. expressa est sigla R. eius  
exemplum statim subiungo.  
*M. Gottovic. ar.*

## LV.

Expositionem huius typi  
modo dedimus, numero præ-  
cedenti, eiusque & illius diffe-  
rentiam, quæ forte chalcogra-  
phi oscitantæ potius, quam  
veræ alicui variationi adnume-  
randa erit. Ubi quoque ad-  
vertas velim, dictum chalcog-  
raphum plures iterum typo  
suo circulos addidisse, ut num-

(a) Neümunzb. edit. 1604. pag. 5.

mi modulum maiorem redde-  
ret. Licentia sane minime fe-  
renda.

Cæterum cum nihil aliud  
notatu dignum in hoc nummo  
occurrat, illum monetæ usuali  
adnumeramus. *T. H.*

## LVI.

Caput Cæsaris adversum, <sup>Tab. XVI.</sup>  
corona tectum, ad pectus,  
cum pallio, & Ord. aurei vel-  
leris insigni. Perigraphe: MA-  
XIMILI anus RO. manorum IMP.  
erator, quam pars averfa sic  
prosequitur:

ARCHIDVX. AVSTRIAE. DVX.  
BVR. gundia. Aquila biceps co-  
ronata umbonem implet, im-  
pressa pectori parmula, *Austria  
& Burgundia* tesseriis distincta.

Nummum hunc monetæ  
usuali accensemus. Auctor ve-  
ro supplementi I. ad recens aper-  
ta Grossorum scrinia, eundem  
*Nummis restitutis* adnumeran-  
dum putat, sed causam huius  
reticet. *M. Imp. ar. pond. 3.  
drach. G. C. suppl. I. Tab. IX.  
n. 102. T. H.*

## LVII.

Scutum *Austria* novum pi-  
leo Archiducali tectum: infe-  
rius littera B. officinam forte  
monetariam denotat. Additur  
perigraphe: ARCHIDVX. AV-  
STRIAE. M. D. X. I. quam pars  
nummi averfa sic prosequitur:

† STIRIA. e CARINTH. ie TI-  
ROLIS. Ternio scutorum dicta-  
rum provinciarum, triangulo  
inclusa. Etsi hic nummus no-  
men MAXIMILIANI haud præ-  
ferat,